

totum cōsumitur. Sed necesse est ut aliquot uicibus sit excoctum, alioqui quò plus aquei habet, eò grauius existit, uidelicet eiusdem ferè pōderis cum oleo & igne consumitur minus. Perinde uero ut uinum hoc facticiū omni natiuo est leuius, sic aquæ ferè omnes, quæ ignis calore rebus quibuscūq; excoctis destillarint, quas ab id destillatas appellant, cæteris aquis sunt leuiores. Reliquū nūc est, ut mellis pondus quoq; iuxta diuersas mensuras indicemus, ac primum Romanas. Culeus uini pendet libras MCCCCLXXXI. cū dimidia, drachmas duas & scriptula duo. Mellis libras MMCCXXII. uncias duas drachmas quinq;, scriptulū unum. Amphora uini pendet libras LXXIII. drachmas septem, scriptulum unum. mellis libras CXI. unciam unam, drachmas duas, scriptula duo. Urna uini pendet libras XXXVII. drachmas tres, scriptula duo. mellis libras LV. cum dimidia, drachmas quinq;, scriptulū unū. Congius uini pendet libras IX. uncias tres, scriptula duo cum dimidio, siliquam unam, grana duo. mellis libras XIII. cum dimidia, uncias quatuor, drachmas quinq;, scriptulum unum. Sextarius uini pendet uncias XVIII. cum dimidia, siliquas duas, grana duo, duas tertias. mellis libras duas, uncias tres, drachmas sex, siliquas quatuor. Hemina uini pendet uncias nouē, drachmas duas, siliquam unā, granū